

Tanti oneris magnum pondus subeunte Schonero,  
 Quæ decora, ut propriè tua sunt, Reuerende Senatus,  
 Nata isthæc intra tibi mœnia, sumptibus almīs  
 Conseruata, tuo sic inscribuntur honori,  
 Publica ut hæc gratæ sit significatio mentis,  
 Quam nostra Vranie debet tibi, Suscipe uultu  
 Quo bona scripta soles, & uita digna perenni,  
 Clementi & placido, hunc non auersatus honorem,  
 Et mea qualiacunq; sunt, non inuida famæ  
 Virtutiq; tuæ, precor excipe carmina mitis,  
 Ac nauatam operam, curam, assiduūq; laborem  
 His emendandis scriptis, dum barbara passim  
 Corrigo uel muto, quæ deprauata uidebam,  
 Quæso probate patres, qua fronte probare soletis,  
 Quæ data sunt rectis studijs, & laudibus urbis,  
 Sic ego cum gratis solennia uota camœnis  
 Pro uobis faciam, uiuat uenerabilis ordo  
 Patrum, cumq; ipsis laus Norica luceat astris.

## EIVSDEM